



Vocatio talium mulierum aestimari debet nobilissima, sed non minus quam in aliis vocationum speciebus, vis et invitamentum huius status vitae sunt fortiter proclamanda. Non minoris pretii feminae tales aestimandae sunt: maxime unitatem inter sacerdotes adiuuare possunt.

152

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA

*Archiepiscopus Cracoviensis*

Circa schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum*, quod mihi videtur in multis bonum, animadvertere velim sequentia:

1. In n. 13, ubi de unitate et harmonia vitae presbyterorum agitur optimeque suggeritur, quod sanctificatio sacerdotum operatur per ministerium eorum — oportet forsitan exponere etiam contrarium. Quandoque enim actiuitas pastoralis tali modo exercetur, quod personalem vitam interiorem quasi exstinguit, tunc sacerdos magis fungitur tamquam instrumentum actionis pastoralis, seipsum tamen per ministerium non sanctificans. Periculo tali opponenda est praecise haec supernaturalis visio rerum agendarum, de qua in n. 13 fit sermo.

2. Ad hanc visionem instituendam, immo irradicandam, magni videtur esse momenti, ut apud sacerdotes profundior reddatur conscientia participationis in sacerdotio ipsius Christi, qui ut sacerdos Mediator simul sit. Conscientia istius mediationis imbuta esse debet vita sacerdotalis intima simul et integra. Tunc enim, una ex parte Deus adoratur in sua transcendentali maiestate, altera autem ex parte homo quilibet et in qualibet sua debilitate vel peccato iter sibi in ministerio sacerdotum quaerere libet. Iste aspectus vitae sacerdotalis non ostenditur sufficienter in schemate, extollendus autem esse videtur. Est enim sacerdos quasi praeco misericordiae divinae: praedicatio autem misericordiae eiusque ministerium in mundo hodierno maximi est momenti, non obstante omni affirmatione, quam mundo sese evolvendo praestare possimus. Praeterea — cum ministerium pastorale ope dialogi multoties exerceri debetur, tunc conscientia sacerdotalis in realitate mediationis Christi debet fundari. Fundamentum enim dialogi cum Deo, qui in Revelatione et Redemptione radices habet, est Christus-Mediator. Ministerium sacerdotis in dialogo inde redundat: in dialogo sacerdos servitium praecipuum Divini Mediatoris exercet. Simul etiam divitias intimas suae personalis participationis in sacerdotio Christi-Mediatoris ingredi debet.

3. Extollitur in n. 7 fraterna coniunctio et cooperatio inter sacerdotes. Suggestenda videtur in hac re missio aliquorum sacerdotum, praesertim autem decanorum (vicarii foranei), quibus officium missionem talem faciliat. Oportet tantum officio missionem clarius adiungere. Oportet etiam dicere, quod sacerdotes — ipsi pastores pro laicis — etiam erga seipsos mutuam pastorem sollicitudinem exercere debent.